



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XVII. Reflexio & apostrophe ad Authores propositionum per Belgium
diffeminatarum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

cit. pag. 58. & 59. Edit. Antwerp. anni 1637. in expositione fundamenti: *Prima, qua hominem tenere debet cura, est scire, in quem finem creatus sit, & sollicitum esse, ut illum acquirat. Finis, propter quem Deus hominem creavit, est primo ut eum laudet & glorificet, corde, ore, & opere, omnia ad majorem Dei gloriam & laudem dirigendo. Pag. 60. & 61. Omnia ad hominis obsequium facta creataque sunt... ut illis ipse utatur ad finem suum, propter quem creatus est... qui est major gloria & obsequium Dei, eoque omnium istarum creaturarum usum referat, illum in omnibus, & omnes in illo, secundum sanctissimam eius & divinam voluntatem amando: & ea tum a recto suo fine diverterit intento, quando nos ipsos, aut aliquam creaturam, non ad majus Dei obsequium querimus.*

202 Joannes Pelecius l. 2. de passion. animi c. 18. *Deus omnia sua facit propter suum honorem, & gloriam, juxta illud (Deuteron. 26.) Creavit cunctas gentes in laudem, & nomen, & gloriam suam, &c. Ad eandem homo quoque gloriam sua omnia referre debet. Quod nisi fecerit, in eum quadrabit sementia, quam Christus fulminavit (Matth. 6.) in eos qui operibus suis humanam aucupantur gloriam: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

203 Istit Societatis Theologis, ex eadem Societate subscribunt Salazar num. 3. laudatus, Gaspar de Loarte in Instruct. Confess. Joannes Nierembergii l. 1. discrim. inter tempor. & aetern. c. 4. Et vitæ divinæ c. 29. Thomas Massutius de caelesti convers. l. 2. c. 3. art. 3. Joannes Bourgesius de christ. humil. l. 1. c. 11. Jacobus Lobbetius qq. Theol. in Evang. q. 7. Quibus omnibus, in doctrina ista tradenda, duces fuerunt S. Ignatius Societatis Fundator, & S. Franciscus Xaverius cap. 8. §. 7. laudati. Et sanctus quidem Ignatius finem illum humanæ creationis, pro suo, institutæque à se Societatis classico assumpsit, ut illud per Orbem universum circumferret, eoque homines omnes admoneret officii sui, finisque ad quem suis in omnibus collimare deberent.

CAPUT XVII.

Reflexio & apostrophe ad Authores propositionum per Belgium disseminatarum, &c.

204 **E**cce quorum, ecce quam doctrinam, ad supremum Innocentii XII. Tribunal ex Orbe Christiano proferendam detulistis, Religiosi in Christo fratres, doctrinam utique sanctissimi Fundatoris vestri, doctrinam S. Francisci Xaverii, doctrinam Canisi, Salmeronis, Alvarez de Paz, Claudii Aquaviva Generalis vestri, Drexelii, Rosignolii, Labatæ, Lud. de Palma, Peleccii, Salazaris, Loartii, Nierembergii, Massutii, Bourgesii, Lobbetii, non ignobilium profectò Scriptorum inclytæ Societatis vestræ; doctrinam tot & tam illustrium aliorum Theologorum sæcularium, re-

gulariumque ex omni Ordine, Nationeque; doctrinam, in quam Patres omnes (teste Rosignolio vestro) *una & mente & voce consentiunt*; quam Apostolus in epistolis suis prædicavit, Christus in Evangelio canonizavit, Spiritus sanctus in veteri Testamento multipliciter expressit, & ut in manibus omnium versaretur, à servo suo Thoma à Kempis describi voluit lib. 3. de Imit. Christi c. 9. ut vidimus suprâ num. 59.

De hoc libro S. Ignatius (si fides R. P. Georgio Mayer in epist. ad R. A. P. Claudium Aquaviva) non solum *magnificè sensit, sed & quotidiano usu lectioneque sibi familiarissimum, filiis suis commendatissimum reddidit.* Ipsaque Societas per Orbem propè universum circumtulit, ejus amorem magnis æque ac parvis instillans, usumque singularem summo omnium questu commendans. Ideò sanctissimam fundatissimamque doctrinam de necessaria operum omnium in Deum propter se dilectum relatione, in libro per totum Christianum Orbem tanta cum laude & commendatione recepto traditam, noluit SS. D. N. Innocentius XII. proferre; nec vos debuistis ad censuram deferre. Cùm delatio ista ad majorem Dei gloriam non esset; imò contra eam, adeoque contra tesseram vestræ Societatis esset.

Et quâ (amabo) censurâ doctrinam illam notatam voluistis? An nescitis quid Romanus Theologus, ad examen articulorum Lovaniensium deputatus, à viginti quinque circiter annis dixerit: *Si articulus ille censurâ aliquâ perstringeretur, ad minimum scandalosus dici deberet. Esset autem scandalosum dicere, articulum illum esse scandalosum?* Sic refert Vianæus (qui tunc præfens aderat) in libro suo de ordine Amoris cap. 9. in fine.

CAPUT XVIII.

Argumentum XV. Quia ipsi sime Judæi, Ebraicique Philosophi, eandem obligationem tradunt.

SI Julianum Augustinus sic olim affatus est: *Obsecro te, non sit honestior Philosophia Gentium, quam nostra Christiana, que una est vera Philosophia: vix dubium, quin Augustinus, si foret hoc tempore redivivus; hoc (inquam) tempore, quo tam in moribus, quam in opinionibus, usque adeò refrigit charitas multorum, iisdem verbis interpellaret nonnullos Recentiores Opinatores, qui, divini amoris neglecto patrocínio, cupiditati malunt patrocinari, docendo, quòd licitum sit creaturis frui; licitum temporales honores, pecuniam, sensuum voluptates propter se appetere, nullamque esse obligationem in Deum omnes actus nostros deliberatos referendi, quam ne quidem Judæi negare ausi sunt.*

Siquidem Morinus l. 1. de pœnit. c. 21. ce. 208 leberimum apud Judæos axioma esse testatur: *omnes actiones nostras divini amoris causâ faci-*